



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Opus & labor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

VOCALIS PRIMA. CAP. XVIII.

A Sed ut ad rem nostram revertamur, à Phœnicibus etiam est honos habitus Bovi, qui literarum, ut fama est, inventores, primæ vocalis nomine Bovem appellabant, cum animal sit humano usui maxime necessarium. Quod vero necessarium est, uti dicit Hesiodus, neque secundum, neque tertium esse debet, sed primum ilico: prima vero litera est A, quæ suapte natura ex imo barathri, nullius veluti reliquæ instrumenti indiga, ut puta linguæ, dentium aut labiorum, libera pronunciatur, primaq; in infantibus articulata dignoscitur. At & terra, cuius symbolum est Bos, prima omnium humanæ consuluit infirmitati, prima alimenta ministravit, prima rerum omnium usus, utilitatem, ab ea poscentibus, elargita est.

ITALIA. CAP. XIX.

Romani porro tantum honoris Bovi tribuerunt, ut Italiam ipsam olim ab Italis, nuncupatis Bovibus, appellatam prædicent, quamvis Græcorum figmento, Eratosthenisque in primis confectum sit, Italiam ab Italo rege dictam, qui Hermogeti successerit. Non temere tamen Varro Boves cæteris pecudibus honore præstare, præsertim in Italia, & propter utilitatem, & propter cognomen existimavit. Neque dedignati sunt Romani, quod memorat Plutarchus, bubulici nomen in familiis admittere, perinde ac etiam & Porcios, & Caprarios dici se alii non erubuerunt.

CIVIS OPPRESSUS A PEREGRINO. CAP. XX.

Visebatur olim in Argivorum foro Taurus à Lupo superatus: hieroglyphicum id pugnam indicabat, quæ inter Danaum & Gelanorem de regno fuit. Horum siquidem animalium portento, dum comitia procrastinabantur, oblato, victoreque Lupo, omnium suffragia ad Danaum declinarunt, quem, utpote externum, Lupum esse dicebant, cum Gelanor inter eos versatus civilla eorum negotia tractasset: ideoq; civis, uti Bos humana consuetudinis confortia non reformidat, habetur. Argivi itaque figuram eam rei momentum esse voluerunt, quod in Lupi commentario latius explicavimus. Antiquissimam porro legem fuisse, memoriæ proditum est, eum qui Bovem occidisset, non aliter capitale damnari, quam si civem interfecisset. Unde apud Athenienses Erechtheo imperante, cum sacro quodam Bovem mactare necesse esset, ut sacrum rite perageretur, ne qua legi fraus fieret: institutum ut Popam, quem illi *Προπόνορ* appellabant, simul ac Bovem percussisset, relicta ad aram securi, arrepta statim fuga solum verteret, & ex Attica prorsum aufugeret: quod facinus ne impunitum relinqueretur, decretum sit securim ipsam in iudicio ream constituere: ex quo illa iudicandi quotannis consuetudo postmodum inolevit. Apud præcos etiam Romanos invenias capitale fuisse, si quis Bovem interemisset.



Athenien-
um lex
adversus
Bovum per-
cussorem.

OPUS ET LABOR. CAP. XXI.

De opere demum & labore hieroglyphica passim vulgata sunt, descripta quidem cornua caput-
ve Bovis, maris opus, scemina vero, laborem, anxietatemque significare, quamvis in impressis
Hori codicibus *Βοός* dictioutroq; lemme desideratur: scribendum enim est ex vetustis codicibus
manuscriptis, *Βοός ἄρρεν κέρα*, & inferius, *Βοός ἡ θηλεία κέρα*. Distinguntur vero à cornuum
specie inas & scemina, quippe quod marium & majora & tortuosiora sint, sceminarum vero & mino-
ra, & uno flexu conspicua, cujusmodi fere sunt novæ Lunæ cornua: sed in hoc significato nonnul-
li sarcula, ligones, & si Deo placet, rastra etiam ad cornua religarunt. Sunt qui nulla maris scemi-
næque differentia, Bovillum caput exertum pelle, purgatumque carne, pro labore & tolerantia
proponant.